



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispvt. CCVLII. De tristitia, & dolore dæmonum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

comminatione pœnæ, sed ex sola operis dignitate. Tum præsertim quia in peccatis hoc certum omnibus est, ad rationem meriti non requiri comminationem. Verè enim homo per peccatum dicitur mereri sui annihilationem, etiam si nihil tale ei Deus fuerit comminatus, quod vberius eo loco ostendimus.

Quare dæmones non mereantur novam pœnam suam

Quare respondeo, opera mala dæmonum non esse meritoria novæ pœnæ essentialis, quemadmodum diximus de bonis operibus Angelorum in beatitudine, non esse meritoria novi præmij, eo quod utraque opera non sunt facta in via, sed in termino, & ita sicut bona opera sunt fructus beatitudinis, non merita illius, sic etiam mala sunt fructus damnationis, non merita. Quare cum dicitur, rationem meriti consequi bonitatem, aut malitiam operis, intelligendum est, non operis absolute, sed in via & in agone: de quo fufius loco citato differendum est.

20.

ARTICVLVS III.

Utrum dolor sit in dæmonibus.

23.
2. d. 5. q. 11.
m. 2. cor. Et
ver. q. 14.
m. 1. cor. 2.
q. 20. u.
1. ad 3. q.
art. 8. cor.
princ. q.
ad 5.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod dolor non sit in dæmonibus. Cum enim dolor & gaudium opponantur, non possunt esse simul in eodem. Sed in dæmonibus est gaudium. Dicit enim Augustinus contra Manichæos: diabolus potestatem habet in eos, qui Dei præcepta contemnunt, & de hac tam infelici potestate lætatur. Ergo in dæmonibus non est dolor.

2. Præterea. Dolor est causa timoris. De his enim timemus dum futura sunt de quibus dolemus dum præsentia sunt. Sed in dæmonibus non est timor secundum illud Iob 16. Factus est ut nullum timeret. Ergo in dæmonibus non est dolor.

3. Præterea. Dolere de malo, est bonum. Sed dæmones non possunt bene facere. Ergo non possunt dolere ad minus de malo culpæ, quod pertinet ad vermem conscientie.

Sed contra est, quod peccatum dæmonis est grauius, quam peccatum hominis. Sed homo punitur dolore pro delectatione peccati: secundum illud Apocalypsis 18. Quantum glorificauit se & in delicijs fuit, tantum date ei tormentum & luctum. Ergo multo magis diabolus qui maxime se glorificauit, punitur doloris luctu.

Respondendo dicendum, quod timor, dolor, gaudium, & huiusmodi secundum quod sunt passionēs, in dæmonibus esse non possunt. Sic enim sunt propriæ appetitus sensitiui, qui est virtus in organo corporali. Sed secundum, quod nominant simplices actus voluntatis, sic pos-

ARTIC. III.

sunt esse in dæmonibus. Et necesse est dicere, quod in eis sit dolor. Quia dolor secundum, quod significat simplicem actum voluntatis, nihil est aliud, quam reclusio voluntatis ad id, quod est, vel non est. Patet autem quod dæmones multa vellent non esse, quæ sunt, & esse quæ non sunt. Vellent enim cum sint inuidi, damnari eos, qui saluantur. Vnde oportet dicere, quod in eis sit dolor. Et præcipue, quia de ratione pœnæ est, quod voluntati repugnet: priuantur etiam beatitudine, quam naturaliter appetunt. Et in multis eorum iniqua voluntas cohibetur.

Ad primum ergo dicendum, quod gaudium & dolor de eodem sunt opposita non autem de diuersis. Vnde nihil prohibet, vnum simul dolere de vno, & gaudere de alio: & maxime secundum, quod dolor & gaudium important simplices voluntatis actus: quia non solum in diuersis, sed etiam in vna, & eadem re potest esse aliquid, quod volumus, & aliquid quod nolumus.

Ad secundum dicendum, quod sicut in dæmonibus est dolor de præsentia, ita & timor de futuro: quod autem dicitur: Factus est, ut nullum timeret: intelligitur de timore Dei cohibere à peccato. Alibi namque scriptum est quod dæmones credunt & contremiscunt.

Ad tertium dicendum, quod dolore de malo culpæ propter se attestatur voluntatis bonitati, cui malum culpæ opponitur. Dolere autem de malo pœnæ, vel de malo culpæ propter pœnam, attestatur bonitati naturæ, cui malum pœnæ opponitur. Vnde Augustinus dicit 19. de Civitate Dei, quod dolor amissi boni supplicio, testis est naturæ bonæ. Dæmon ergo cum peruerſa sit voluntatis & obliuata, de malo culpæ non dolere.

CONCLVSIO est affirmans, & de fide, ut apparet, seq. cap. 1. videbimus.

DISPUT. CCXLII.

De tristitia, & dolore dæmonum.

*Dæmones dolore spirituali afficiuntur, cap. 1.
Omnem tristitiam, quam patiuntur dæmones, pertinet ad pœnam sensus, cap. 2.
Talis est dolor & tristitia dæmonum, ut nullam suam peccatam veram delectationem, cap. 3.
Dæmonem non posse non tristari, cap. 4.*

CAPIT.

Demonēs dolore spirituali affici certum est.

Dolor in animantibus duo habet, & rationem formalem doloris, & passionem aut commotionem corpoream sibi coniunctam: id quod omni affectui commune est, ut notauimus disput. 84. Ceterum cum quaerimus de aliquo genere affectus, an conueniat Deo, aut creaturæ spirituali, non intelligimus secundum passionem corpoream, quam habet sibi coniunctam in animantibus, sed solum secundum rationem formalem talis affectus, & hac ratione ibidem ostendimus, quosdam affectus Deo tribui, alios autem minime. Dolorem igitur, & tristitiam demonibus conuenire, Scholasticis certissimum est, atque ex multis Scripturæ locis confirmari potest. Primo probat S. Thomas in hoc articulo in argumento.

Apoc. 18. & 20. Sed contra, ex illo Apocal. cap. 18. Quantum glorificauit, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum, & luctum. Hoc enim argumentum ducit S. Thomas a maiori. Nam si homo dolore cruciabitur in inferno, multo magis & demon cruciari debet. Secundo probari potest ex cap. 20. Apocalypsis, ubi dicitur diabolus missus in stagnum ignis, & fursus, ubi bestiae cruciabantur die, ac nocte.

2. Pet. 2. Tertio idem probatur clarissime 2. Petri 2. illis verbis, Si enim Deus Angelis peccantibus non peperit, sed rudentibus inferni detractis in tartarum tradidit cruciandos, &c. cruciari autem non contingit sine dolore.

Responso quæ pōtēt adhiberi reijciunt. Genes. 6.

Verum dicit fortasse aliquis, hæc loca non esse intelligenda secundum proprietatem & absque metaphora: dicitur enim Genes. 6. de Deo, *Tactus dolore cordis intrinsecus*, & tamen hæc verba per metaphoram intelligenda sunt, ita ut dicatur tactus dolore, quia exterius se habuit, ac si dolore, & pœna ductus retractasset id, quod fecerat, cum destruxit omnem carnem: nam qui destruit id, quod antea fecerat, indicari videtur animi sui dolorem & pœnam. Cur ergo alia loca, quæ de Angelis loquuntur, absque metaphora intelligimus? Hæc tamen obiectio inanis est. Primum quia cum loco Scripturæ commode, absque vilo absurdo in proprio sensu intelligi possunt, non sunt per metaphoram explicanda, & quia de Deo non potest intelligi dolor, aut pœna sine aliquo absurdo: Deus enim doloris capax non est, ut in ea disput. 84. ostendimus: & quia eius voluntas immutabilis est, potentia autem non est sine dolore, & mutatione voluntatis: ideo cogimur prædicta loca per metaphoram interpretari. At vero de Angelis testimonia allegata intelligere sine metaphora, nullum est absurdum, ut ex definitione doloris patebit: ergo sine metaphora intelligenda sunt. Deinde, etiamsi vellemus de Angelis per metaphoram ea intelligere, non possemus. Nam de Deo ideo ita interpretamur, quia videmus aliquid factum a Deo, quod dolorem, & pœnitentiam indicare videbatur: in Angelis autem id non videmus. Adde, quod cum 2. Pet. 2. dicatur dolor destinatus demonibus in pœnam suorum peccatorum, & nullus dolor metaphoricus possit esse pœna: necesse est, prædicta testimonia absque metaphora explicare.

Ceterum ut videamus, Deo non posse tribui
Vasques in 1. p. tom. 2.

dolorem & tristitiam secundum proprietatem, Angelis vero recte conuenire, oportet exponere definitionem, & rationem formalem doloris. In qua re, antequam ex propria sententia eam afferamus, quid alij sentiant, breuiter recensebimus. Nonnulli recentiores dicunt, ideo in Deo non esse dolorem secundum propriam rationem, esse tamē in Angelis, quia nullus dololet nisi de ijs, quæ accidunt contra suam voluntatem: contra Dei autem voluntatem nihil accidit, multa vero contra demonis voluntatem eueniunt: ergo demones tristiari possunt, Deus autem non item. Hac tamen ratione sufficienter explicare non possumus id, quod contendimus. Nam multa accidunt contra Dei voluntatem, ut peccata hominum: cur ergo Deus non tristiabitur: si dicas, hæc solum accidere contra voluntatem Dei inefficacem: dolorem autem solum esse de ijs, quæ sunt contra voluntatem efficacem: obstat huic responso alia manifesta ratio, nam pœnitentia, quæ est dolor quidam de peccatis commissis, est de ijs, quæ sunt contra voluntatem simplicem, & non efficacem eius, qui dololet: neque enim ille, qui dololet de peccatis, habet efficacem voluntatem, quæ velit se non peccasse: hoc enim iam sibi impossibile est: impossibile autem non est efficax voluntas, ut disputatione 234. capite 2. ostensum est.

Facilius multo ratio assignari potest, ob quam secundum proprietatem Deo tribui non possit tristitia, & dolor, Angelis vero conueniat. Ratio vero desumpta est ex definitione, formali horum affectuum, hoc modo. Delectatio, ut docet sanctus Thomas 1. 2. quæstione 35. articulo 1. cui opponitur tristitia, & dolor: est de bono coniuncto, & cognito tanquam coniuncto: contra vero tristitia, & dolor debet esse de malo, quod aliqua ratione existimatur coniunctum. Hoc dixerim, quia tristiari potest aliquis de malo amici, quod illud reputet sibi proprium. Sed Deus non potest habere malum sibi coniunctum aliquo modo, nec potest alterius malum reputare ut proprium: ergo neque dolere, neque tristiari potest, ut etiam notauimus in eodisp. 82. c. 1. ubi etiam dixi de timore & de alijs affectibus, qui Deo conuenire non possunt. Contra vero cum Angelus possit habere malum sibi proprium, & coniunctum, poterit etiam de illo tristiari & dolere. Huiusmodi est pœna, quam patitur in inferno.

CAPVT II.

Omniem tristitiam, quam patiuntur demones, pertinere ad pœnam sensus.

Hinc dolorem & tristitiam pertinere ad pœnam demonum, nemo dubitat. Vtrum autem omnis dolor pertinet ad pœnam sensus, an aliquis etiam ad pœnam damni, inter Doctores quæstionem habet. Recentiores nonnulli sentent, esse dolorem, qui spectet ad pœnam damni, & qui spectet ad pœnam sensus. Nam dolorem ortum ex consideratione pœnæ damni, dicunt esse etiam pœnam Dei: dolorē vero provenientem ex igne, esse pœnam sensus.

Mihi vero probatur sententia Scoti in 4. distinct. Scotus, 50. quæstione 1. art. 4. conclusionē 2. qui vniuersum affirmant, omnem dolorem, ex quocunque malo

Quare Deo non conueniat dolor.

Ratio recentiorum.

3. Resoluitur.

Vera ratio proponitur.

Dolor quid sit.

4.

Sententia negans recentiorum.

Scotus.

apprehenso proveniat, esse pœnam sensus. Cuius rei gratia notandum est, omnem pœnam esse malum, & interdum ex malo aliquo provenire. Dupliciter autem aliquid potest esse malum alicuius. Primum reipsa ab ipsa cognitione, & tristitia, quæ ex cognitione oritur: & hoc malum habet rationem damni eius, cuius est malum & rationem pœnæ damni, quoties propter peccatū infligitur. Talem autem pœnam, & malum pati possunt pueri, & amentes: quia natura huius mali non pendet ex cognitione & tristitia: sed in privatione alicuius boni, ut in privatione alicuius doni spiritualis, aut alicuius temporalis commodi consistit: & ideo hæc pœna non est pœna sensus: quia malitia eius non pendet ex sensu, aut cognitione: talis est in demonibus privatio beatitudinis: hanc igitur pœnam dicuntur demones pati: non quatenus illam sentientes tristantur, sed quatenus ea re ipsa læsionem, & damnum patiuntur.

Aliud autem est malum ea solum ratione disconveniens, quatenus sentitur, seu cognoscitur & cognitum tristitiam affert: & hoc malum quoties infligitur propter peccata, dicitur pœna sensus: non quia sit per sensum corporeum tantum, sed quod sit etiam per cognitionem, quam sensum communiter vocamus, quia pœna sensus corporei notior est: quare omne obiectum eatenus dicitur asserre pœnam sensus: quatenus affert tristitiam: & quia illam patitur, eatenus pati dicitur, quatenus tristatur. Hinc constat, omnem tristitiam etiam de pœna damni ex cognitione ortam, esse pœnam sensus: aut oportet aliam definitionem ex proprio cerebro excogitare.

Quod vero ait Scotus, esse aliam pœnam damnatorum omnium maximam, odium scilicet perpetuum, quo Deum prosequuntur: & eam simul esse culpam: ideoque omnium maximam esse, cum vera doctrina, quam tradit S. Th. 1. 2. q. 87. articulo 2. & nos idem vberius confirmabimus, minime constat: nam iuxta doctrinam S. Th. peccatum, quatenus peccatum, pœna esse non potest prioris peccati, hoc est, malitia peccati non potest esse malitia pœnæ, etiam relictæ ad prius aliquod peccatum: quamvis peccatum posterius, præter malitiam culpæ, possit coniunctam habere malitiam aliam pœnæ, ut infamie morbi, & aliam huiusmodi, ratione cuius possit esse pœna prioris, ut ibidem explicabitur. Quare odium, quo demones Deum perpetuo prosequuntur, ratione solum cruciatus & doloris, quem secum asfert, potest esse pœna prioris peccati: omnis enim, qui odio habet aliquem, hoc ipsum quod malum non consequitur, quod ei desiderat, cruciatur: sed odium ratione malitiæ, quam habet, quatenus peccatum culpæ esse non potest. Ex quo etiam sequitur, odium Dei non esse pœnam omnium maximam.

CAPVT III.

Talis est dolor & tristitia demonum, ut nullam secum patiantur veram delectationem.

¶ Cum vehemens sit tristitia, qua demones perpetuo vexantur, difficultas esse potest. An de aliqua re possint lætari? S. Th. in 4. d. 45. quæst. 2. articulo 2. q. 1. ad 4. fatetur, demones aliquando de

ARTIC. III.

re aliqua lætari, nempe ex eo quod homines in tentatione superant: & videtur fuisse sententia Aug. lib. 2. contra Manichæos, 17. in 1. q. 1. quem citat S. Th. in hoc articulo primo argum. Itemque sentit ille in solutione illius, & Alexander 2. p. 4. in 4. articulo 1. & 2. Sed S. Th. in 4. hanc lætationem delectationem appellavit phantasticam, hoc est non veram, sed apparentem. Alexand. vocavit quiddam amaritudinem plenum. Probant autem potius hæc sententia: quoniam in demonibus est spes, & desiderium, quæ sunt de futuro bono: sed ipse desiderio respondet delectatio, postquam id, quod desiderabatur, adeptum est: ergo in demonibus est delectatio.

Ego quidem existimo primum, nullam esse in demone talem delectationem, quæ dolorem cruciatum, quem patitur pro suo peccato, aliquo modo leniat, & mitiorem reddat: nam sicut potius sensus in demonibus est æternæ etiam eodem modo persecutus semper, & hoc indubitanter omnibus esse debet.

Deinde dico, nullam veram delectationem ex aliquo eventu demonibus provenire, tamen si flagrans habeant desiderium alicuius futuri quod tanquam bonum suum apprehendant. Quare, etiam si ardentius desiderant vincere homines tentatione peccati, tamen existimo, contra victoriam, vere de ea non lætari, quæ sententia ex doctrina Aristot. 7. Ethicorum capitulo 1. manifeste colligitur. Nam post medium capituli inquit, Voluptas aut contraria, & quævis, minus si vehementer, pellit dolorem, hoc est, non solum voluptas, quæ est de obiecto sub una ratione considerato, pellit necessario dolorem de eodem obiecto sub eadem ratione apprehenso (hæc enim contraria sunt), verum etiam quævis voluptas, nempe aut de eodem obiecto sub alia ratione considerato, aut de alio quocunque, si tamen sit vehementer, non patitur secum ullam tristitiam: nam quo aliquis magis de una re delectatur, eo minus tristatur de quacunque alia re: quia eo minus afficitur ut malum quodcunque aliud, quod evenit, quomodo apparet bonum id, quod possidet: id quod ex experimento competum est: ergo tam potest esse delectatio, ut omnem pellat dolorem, sicut Aristoteles. Eademque omnino ratio erit tristitiæ, & doloris, ut si maximus sit, pellat omnem lætationem, præsertim si lætatio non sit vehementis obiecti. Cum igitur tristitia demonum vehementissima sit: ea vero quæ ipsi asserere possunt lætationem, minoris sunt momenti, & nihil habent, nisi sola cogitatione peccati discendum est, nullam omnino demones capere delectationem, etiam si id, quod auidet delectabant, consequantur.

Hanc sententiam sequitur Gabriel in 2. diffinitione 7. quæst. 1. articulo 3. dubio 1. Oramus 2. quæst. 19. ad 7. dubium in fine quæstionis. Probant autem, demones nunquam lætari de eo, quod desiderabant, quia Deus subtrahit concursum suum, ne possint lætari adeo iam bono, quod desiderabant. Hæc tamen ratio admittenda non est: quia hæc esset perpetua quædam violentia, ut dispensatione 239. caput 1. notavi, quam admittere necesse non est. Deinde probant, quia status iste summe tristitiæ patitur secum desiderium delationis bono apprehenso, non tamen lætationem. Quæ ratio

mihi maxime probatur. Nam summa tristitia, qualem daemones habent, non patitur secum delectationem ob rationem dictam: at vero cum desiderio non pugnat: imo vero quanto magis aliquis delectatur, magis potest timere: & quanto magis tristatur, magis potest desiderare: qui enim tristatur vehementer, summo opere quoque desiderat carere illo malo, de quo tristatur: sed vehementer tristitia non finit delectari de bono aliquo. Et hinc patet solutio argumenti, quod pro sententia priori allatum est. Constat enim ex dictis, quare possit quis cum summa tristitia habere desiderium, non autem letari: quia bonum, prout est obiectum desiderij, est absens: & ita apprehendi potest, ut placeat futurum: adeptum tamen non aestimatur ut bonum in tanta tristitia, & ideo non delectat.

M. S. Tho. in hac cop. transmissa exponitur.

Postremo veram censeo sententiam S. Thom. nec nostrae opinioni vilo modo contrariam, quatenus asserit, daemones, aliquam capere delectationem de victoria, quam contra homines obtinent: ea enim tamen delectationem non esse veram, sed apparentem tantum, quam ipse phantasticam vocat: quod tamen non est ita intelligendum, quasi daemones videantur sibi delectari, cum reuera non delectentur (neque enim haec deceptio ipsis contingere potest) sed quia ita se habent in tentatione hominum, ac si vere, obtenta victoria, delectarentur. Licet enim semel, atque iterum vincant hominem, nullamque inde capiant voluntatem ob rationem superius dictam: nihilominus ita prae affectu sunt, ut iterum ipsum, aut alium hominem aggrediantur, apprehendentes sibi in futura victoria novam causam letitiae, quam in praecedenti victoria non inveniunt: in quo se habent instar eorum, qui letantur. Hoc autem recte contingere potest propter pravam eorum dispositionem, ex qua provenit, ut ex praeteritis victorijs, ex quibus nullam voluptatem ceperunt cautiore non fiant. Hoc eodem modo intelligendus est Augustinus.

CAPUT IV.

Demonem non posse non tristiari.

*10. P*ostremo in hac disput. tractandum est, an daemones, ita tristentur, ut in eorum sit potestare non tristiari: in qua etiam difficultate Doctores omnes non eodem modo sentiunt. Scotus in 2. d. 7. q. 1. §. Resat nunc dicere, & in reportat eadem dist. quasi 3. arbitrat, ab omni actu voluntatis damnatos posse cessare. Ex qua sententia sequitur, posse etiam cessare à dolore, & tristitia, qui sunt actus voluntatis. Quamvis enim ipse Scotus in 3. d. 1. §. Aliter potest dici, & in 4. distinct. 49. qu. 7. putet, tristitiam formaliter non esse actionem elicitam appetentis facultatis, sed passionem ab obiecto (quam sententiam impugnabo 1. 2. quæst. 4. art. 1.) & ex hac parte non posset damnatus à tristitia cessare tamen cum existimet etiam ibidem, priorem esse hac passione tristitiae actum quendam elicitem voluntatis, siue quo tristitia non esset: plane consequitur, ex eius sententia posse damnatos à tristitia cessare: quia cessare possunt ab eo actu, qui debet necessario tristitiam praecedere.

Huius sententiae meminerunt Gregorius in 2. *Ysaquus in 1. p. tom. 2.*

dist. 7. quæstion. 1. art. 2. & Bassolis quæstion. 1. artic. 3. eamque censent esse falsam. Nam si vera esset: lequeretur, daemones posse seiplos a pœna sensus liberare: quæ sane sententia ex parte peior esset errore Origenis, nam Origenes ita dicebat pœnas damnatorum finiendas esse, ut id non ex ipsorum voluntate, sed ex Dei misericordia futurum concederet. Sed Scotus in reportatis quæst. illa 3. ut defendat, non posse daemones non tristiari, docet actum tristitiae, quo daemones tristantur, à solo Deo produci, & conservari, & ita daemones ab eo cessare non posse. Ceterum, ut supra diximus dist. 13. q. 2. impossibile est, actum intellectus, aut voluntatis à solo Deo produci: & ideo hac ratione defendi non potest prædicta opinio.

Possit quidem aliquis concedere, daemones non posse cessare à tristitia, impossibilitate consequenti: quia Deus semper immitit ralem cogitationem, quam scit futuram causam tristitiae, easque remouebit, quibus induci posset daemones, ut à tristitia cessaret, quæ impossibilitas est consequens ratione scientiae, cum qua Deus cogitationes varias immitit, & alias remouet. Mihi tamen multo verius videtur, daemones non posse à tristitia cessare, impossibilitate antecedente, quæ dicitur impossibilitas ex parte causæ præuenientis, de qua satis diximus disput. 68. cap. 4. hoc est, tali cogitatione præsentis mali, in qua cogitur à Deo permanere, ad tristitiam moueri, ut ab ea tristitia nulla alia cogitatione, nisi sola visione beatifica, possit cessare: quemadmodum ipsa clara visione Dei beatus ita necessario delectatur, ut non delectari non possit, impossibilitate præcedenti ex parte causæ & cogitationis.

At obijciat quis in hunc modum: ut voluntas rem aliquam diligat, aut de ea delectetur necessario quoad exercitium, hoc est, ita ut ab amore, & delectatione cessare nequeat, debet non tantum in obiecto apparere summa ratione boni, sed etiam in exercitio debet nulla ratio, quali apparere: nam si apparere posset, eo ipso etiam posset voluntas ab exercitio cessare: atqui in ipso exercitio & opere tristitiae apparet ratio grauissimi mali: ergo daemones ab ea libere potest cessare. Respondet, tunc posse voluntatem ab actu amoris, & delectationis cessare, etiam si in obiecto sit summa ratio boni, si in exercitio appareat ratio aliqua mali quando potest remouere ab intellectu considerationem obiecti, ex qua nascitur amor, vel delectatio: si tamen cogere in ea manere, non posset non amare, & delectari, & quia daemones coguntur manere in cogitatione mali, & pœna, qua damnati sunt, & tale malum cogitatum non potest tristitiam non afferre: ideo non possunt non tristiari: quantumvis in ipso actu tristitiae rationem mali inueniant, & ideo non velint cessare.

ARTICVLVS IV.

Vtrum aer iste sit locus penalis demonum.

*A*D quartum sic proceditur. Videtur, quod aer iste non sit locus penalis demonum. Demon enim est natura spiritalis. Natura autem

11. Gregorius Bassolis.

12. Obi. dno dissoluitur.

332. 4 d. 45. q. 2. a. 3. tom. 2. ad 4. & d. 47. q. 1. a. 3. 2. 4. ad 2.

Ppp 3

tem

tem spiritualis non afficitur loco. Ergo nullus locus est demonibus pœnalis.

2. Præterea. Peccatum hominis non est grauius, quam peccatum demonis: sed locus pœnalis hominis est infernus. Ergo multo magis demonis. Ergo non aer caliginosus.

*Lib. 3. super
Gen. c. 10. a
med. 10. 2.*

3. Præterea. Dæmones puniuntur pœna ignis. Sed in aere caliginoso non est ignis: ergo aer caliginosus non est locus pœnæ demonum.

Sed contra est, quod Aug. dicit 3. super Gen. ad lit. quod aer caliginosus est quasi carcer demonibus vsque ad tempus iudicii.

Respondeo dicendum, quod Angeli secundum suam naturam medij sunt inter Deum & homines. Habent autem hoc diuinæ prouidentiae ratio, quod inferiorum bonum per superiora procuratur. Bonum autem hominis dupliciter procuratur per diuinam prouidentiam, vno modo directe: dum scilicet aliquis inducitur ad bonum, & retrahitur à malo, & hoc decenter fit per Angelos bonos: alio modo indirecte, dum scilicet aliquis exercetur impugnatus per impugnationem contrarij. Et hanc procurationem boni humani conueniens fuit per malos Angelos fieri, ne totaliter post peccatum ab utilitate naturalis ordinis exciderent. Sic ergo demonibus duplex locus pœnalis debetur. Vnus quidem ratione suæ culpæ, & hic est infernus: alius autem ratione exercitationis humanæ, & sic debetur eis caliginosus aer. Procuratio autem salutis humanæ, protenditur vsque ad diem iudicii. Vnde & vsque tunc durat ministerium angelorum, & exercitatio demonum. Vnde & vsque tunc & boni angeli ad nos huc mittuntur, & dæmones in hoc aere caliginoso sunt ad nostram exercitium. Licet eorum aliqui etiam nunc in inferno sint ad torquendum eos, quos ad malum induxerunt, sicut & aliqui boni Angeli sunt cum animabus sanctis in cælo. Sed post diem iudicii omnes mali tam homines, quam Angeli in inferno erunt, boni vero in cælo.

Ad primum ergo dicendum, quod locus non est pœnalis angelo, aut animæ, sed quasi afficiens alterandæ naturam, quasi afficiens voluntatem contristando, dum angelus, vel anima apprehendit, sed esse in loco non conuenienti suæ voluntati.

Ad secundum dicendum, quod anima secundum ordinem naturæ non præfertur alteri animæ, sicut dæmones ordine naturæ præferuntur hominibus. Vnde non est similis ratio.

ARTIC. IV.

Ad tertium dicendum, quod aliqui dixerunt, vsque ad diem iudicii differri penam sensibilem, tam demonum, quam animarum, & similiter beatitudinem sanctorum differri vsque ad diem iudicii. Quod est erroneum & repugnans Apostoli sententiæ, qui dicit 2. Cor. 5. Si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluitur, domum habemus in cælo. Alij vero licet hoc non concedant de animabus. Sed melius est dicendum, quod idem iudicium sit de malis animabus & malis angelis: sicut idem iudicium est de bonis animabus & bonis angelis. Vnde dicendum est, quod sicut locus celestis pertinet ad gloriam angelorum tamen gloria eorum non minuitur, cum ad nos veniunt: quia considerant illum locum esse suum, eo modo quo dicimus honorem Episcopi non minui, dum actum non sedet in cathedra. Similiter dicendum est, quod dæmones, licet non actum alligantur gehennali igni, dum sunt in aere isto caliginoso: tamen ex hoc ipso quod sciunt illam alligationem sibi deberi, eorum pena non diminuitur. Vnde dicitur in quadam glossa Iacob. 3. quod portant secum ignem gehennæ, quo cumque vadant. Nec est contra hoc, quod rogauerunt Dominum, vt non mitteret eos in abyssum: vt dicitur Luc. 8. qui hoc petierunt reputantes sibi penam, si excluderentur à loco in quo possunt hominibus nocere. Vnde Matth. 8. dicitur, quod deprecabantur eum, ne expelleret eos extra regionem.

CONCLUSIO est, Quidam dæmones sunt in inferno, vt in loco pœnæ ipsi destinati: alij vero non sunt in aere caliginoso.

DISPVT. CCXLIII.

Quo pacto dæmones patiantur ab igne.

*Dæmones torqueri solum apprehensione apparent: nonnulli autem aut. cap. 1.
Dæmones torqueri in inferno sola apprehensione privationis desolati boni, alij existimant c. 2.
Dæmones ab igne cruciari per speciem aut cognitionem ab eo derivatam, nonnulli docuerunt c. 3.
Dæmones & animas separatas eodem modo ab igne torqueri, quo anime in corpore cruciantur, Henricus & Scotus putarunt c. 4.
Dæmonem pati ab igne per qualitatem ab igne derivatam recentiores affirmant c. 5.
Dæmones occulto quodam modo per alligacionem ab igne torqueri probabilior sententia est c. 6.*